

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2365

**Auteur(s) :** Robert II de Beaumont, Leicester (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Baux-de-Breteuil, Notre-Dame-du-Désert, dépendance Lyre (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1125

**Action juridique :** fondation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Fondation du prieuré du Désert par Robert comte de Leicester.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862, t. 1, p. 250-251.
- b. Devoisins Albert-Joseph, *Histoire de Notre-Dame du Désert*, l'ermitage (460-1125), le prieuré (1125-1675), la chapelle (1675-1900), Paris, Lechevalier, 1901, p. 103-107.

Texte établi d'après b

Robertus, comes legrestriæ, dominus Bretollii, omnibus baronibus, militibus, burgensibus ad honorem de Bretolio pertinentibus et omnibus successoribus suis, Salutem.

Notum vobis omnibus ferri volo quia ego dedi et concessi et hac præsentis carta mea confirmavi Deo et Beatæ Mariæ de Deserto, et Hugoni servo Dei et fratribus ibidem commorantibus et Deo servientibus in remissionem peccatorum meorum, et salutem animarum patrum et parentum et antecessorum meorum, omnes suas libertates et quietationes in omnibus rebus seculariis servitii ; ita quod ecclesia illa, et clausum fratrum illorum in quo laborant, nullius ditioni, nullius respondant exactioni ; sed inde tantum obediant episcopo ebroïcensi de episcopalibus, et domino Bretolii tanquam advocato suo, in cujus feodo ecclesia illa fundata est. Concedo igitur et firmiter præcipio ut supradicta ecclesia de deserto et servus Dei Hugo, et omnes ibidem Deo servientes habeant et possideant libere et quiete omnia beneficia illa quæ eis data sunt et omnia illa quæ eis futuro canonice dabuntur. Concedo quoque eidem ecclesiæ in eleemosynam sempiternam et fratribus ibidem Deo famulantibus plesseiam quæ est circa clausum suum, liberam et quietam ad ipsum roborandum et custodiendum et stagnum quod est in valle du Lesme in foresta Britolii liberum et quietum, et landas quæ sunt inter ipsum stagnum et plesseiam suam, sicut se proportant in longum et latum et unum Bigrum liberum per forestam ad luminare supradictæ ecclesiæ et vivum boscum per liberationem ad usus herbagiorum illorum et rerum suarum faciendarum et mortuum Boscum ad calefactionem illorum et hominum illorum sine liberatione et pascua pecudibus illorum et hominum eorum per forestam et pannagia porcorum suorum et hominum eorum eis concedo et theloneum in toto feodo Britolii eisdem quieto et si forte nominati fratres extra clausum essartum fecerint monachi de Lyra tantum decimam habeant.

Hæc autem omnia supradicta beneficia et omnes eorum libertates et quietationes ego supradictus Robertus concessi et confirmavi et per missale super altare posui in dedicatione ejusdem ecclesiæ quæ fuit facta quarto calendis Maii : et in dedicatione ejusdem ecclesiæ ego, persuasus et concessione Audinii Ebroicensis episcopi donavi in eleemosynam sempiternam ad victus et sustentationem servorum Dei ibi commorantium materiam meam quæ est inter Cheronvilier et Boscum Ernaldi ita liberam et quietam sicut et ego prius illam tenebam et possidebam

cum omnibus pertinentiis in terris et in pratis et in hominibus et aliis rebus omnibus, et in dedicatione supradictæ ecclesiæ dedit Amicia uxor mea, comitissa, unam marcam argenti æternaliter in reddito suo de Serpevine singulis annis habendam et Ernaldus de Bosco decem solidos dunetenses æternaliter in reddito suo de Glos singulis annis solvendos in festo Sanctæ Crucis in Maio. Et Wuilelmus Fresnel quinque solidos dunetenses æternaliter in reddito suo de Feritate ad eundem terminum singulis annis habendos. Hæc autem dona et omnia supradicta beneficia tanquam eleemosynam propriam in manu prædicti episcopi viri religiosi ecclesiam illam dedicantis mittentes ego et uxor mea super altare posuimus.

Hanc autem donationem ratam et in æternum mansuram attestacione sigilli mei et scripti firmare curavi. Quam si quis a supradicta ecclesia abstraxerit memoratus episcopus illum anathematis sententia damnavit.

Testibus istis :

A. Ebroicensi ; episcopo, Radulpho, archidiacono ; Wilelmo de Glos, archidiacono ; Wilelmo, decano de Bretolio ; Goscelino cappellano de Aquila ; Vitali, capellano ; Ernaldo de Bosco ; Wilelmo Fresnel ; Baldoino de Grandvilier ; Reginaldo Boffei ; Balduino de Charnellis ; Wilelmo, clerico de Glos ; Amicia uxore mea comitissa Legrestrice ; Comitissa de Warvic ; Matre Roberti de Novoburgo cum duobus filiis suis Rotrodo et Henrico ; Juliana de Aquila et pluribus aliis.

Hoc factum est in diebus Hugonis de Deserto qui supradictam ecclesiam a fundamento construxit. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vicesimo quinto.